



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

II. Graf Baderich von Dornburg bekundet, daß das Kloster Marienthal von
Otto von Glinde das Dorf Tuple erworben habe, im Jahre 1220.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

II. Graf Baderich von Dornburg bekundet, daß das Kloster Marienthal von Otto von Glinde das Dorf Tuple erworben habe, im Jahre 1220.

Univerſis Chriſti fidelibus Bedericus comes benevalere; ut poſtmodum modernorum alius memoriae imprimantur; tam praefentibus quam futuris praefenti pagina cum ſigilli noſtri confirmatione innotescimus, quod eccleſia vallis S. Mariae villam Tuple ab Ottone de Glinde et a ſuis legitimis heredibus precio XXX et centum marcarum et quatuor manſos ſitos in Meynz perpetuo poſſidendos XXX marcis comparavit, quae bona praedictus Otto cum uxore, ſua Rekeza et duobus filiis ſuis Theoderico et Radolfo coram nobis ſub teſtimonio ſcabinorum praefentibus nichilominus viris honeſtis, quorum nomina ſubſcribuntur, praedictae eccleſiae libere contradidit poſſidenda. Nomina teſtium ſunt haec: Scultetus Borchardus, Heydenricus Vronebode, Heynricus de Byeere cum filiis duobus, Bernhardus de Ekehardethorp, Albertus Beynz, Heydenricus de Wolve, Borchardus de Welsleve et Hartwicus frater eius, Helbordus de Korlinge, Philippus de Hornhufen, Theodericus de Korlinge et alii quam plures; et ut nos huic emptioni noſtram confirmationem adhiberemus, dederunt nobis XII marcas. Facta ſunt haec coram nobis in Mulinge, anno gratiae M. CCXX.

Lebebur Allgem. Archiv XVII, 86 u. 87.

III. Albert, Erzbischof zu Magdeburg, beſtätigt der Stadt Burg das Kaufhaus in Magdeburg, am 11 Dezember 1224.

In nomine Sancte et individue Trinitatis. Albertus, Dei gratia Sancte Magdeburgensis Eccleſiae Archiepiſcopus, Imperii Sancti Legatus, Comes Romaniole etc. Quotiens aliquid ſpecialiter juris gratie devotis ac fidelibus noſtris impertitur, ita eos teſtimoniis ſcripturarum noſtrarum munire conſuevimus, quod nullum occasione oblivionis aut tergiverſationis cuiquam incurere valeat ſui roboris detrimentum. Proinde notum eſſe cupimus, univerſis praefentem paginam inſpecturis, quod eo tempore, quo in partibus transmontanis in obſequio Imperii, legationis officio ſungebamur, domo quadam Magdeburgenſi prope Cemiterium ſorensis Eccleſiae ſita, quae Kauff-Haus de Burch in vulgari dicitur, incendio concremata, fideles noſtri Procuratores negotiorum noſtrarum ſcilicet Wyllebrandt Prepoſitus Sancti Nicolai, Albertus de Arnſtede, Vicedominus noſter, Et Gerardus dapifer, ex parte noſtra civitati de Borch et omnibus Burgenſibus promiferunt, quod nos eis eandem domum cum omni libertate et jure, quod a tempore predeceſſorum noſtrarum bone memorie Wychmanni et Ludolphi Archiepiſcoporum habuerunt in domo praefata et Curia pertinente ad ipſam, jure hereditario concederemus et confirmarem autenticis ſcriptis noſtris, ut domum illam idem Burgenſes propriis expenſis ac novis edificiis repararent et aptarent, ſicut ſuis commodis eam magis aptam crederent expedire. Nos igitur promiſſa fidelium noſtrarum firma ſervare volentes, domum praefatam cum Curia adjacente civitati noſtre de Burgk praedictae et ejus Burgenſibus Capitulo noſtri accedente conſenſu concedimus cum omni libertate et omni jure, quod, ſicut praedictum eſt, a tempore predeceſſorum noſtrarum uſque in praefens jure hereditario ob-